

**Quaestio medica pro baccalaureatu mane discutienda in alma  
Monspeliensium medicorum academia. / praeside R. D. Joanne Bezac ... ;  
An apoplexia guttae Monspelienses?**

**Contributors**

Bézac, Jean, -1738.  
Billebault, Antoine Nicolas, active 1710.  
Ecole de médecine de Montpellier.

**Publication/Creation**

[Montpellier] : [publisher not identified], [1710?]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/nqgzvpm7>

**License and attribution**


This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>





ILLUSTRISSIMO NOBILISSIMOQUE VIRO

D. D. FRANCISCO XAVERIO BON

Regi à Consiliis, Baroni de Fourques, Domino de Celleneuve,  
Terrades &c.

Supremi Senatûs Monspelienſis Principi designato.

Regiæ Scientiarum Societatis Præſidi.

D. D. D.

ANTONIUS NICOLAUS BILLEBAULT Senonensis.

QUÆSTIO MEDICA  
PRO BACCALAUREATU

MANE DISCUTIENDA

IN ALMA MONSPELIENSIIUM MEDICORUM ACADEMIA

PRÆSIDE

R. D. JOANNE BEZAC

PROFESSORE REGIO

*An Apoplexia Gutta Monspelienſes?*



POPLEXIA est præternaturalis functionum animalium cum principum, tum minus principum abolitio, remanentibus tantum vitalibus & naturalibus, quæ ipsæ quoque difficulter & laboriose exercentur.

Cum ex physiologicis evidens sit functionum animalium exercitium spiritibus deberi, qui suâ præſentiâ substantiam cerebri continuo distendant, & jugi ac perpeti fluxu universas corporis partes vivificent; functiones eas animales in Apoplecticis ideò concidere atque aboleri consequens est, quod solitus spirituum in partes influxus, solitaque eorundem in cerebro præſentia deficiat; *proxima itaque Apoplexia causa spirituum animalium defectus futurus est.*

Sed nequeunt spiritus in cerebro deficere, nisi corticales glandulæ, per quas solent tranſeolari, à solito cessent officio. Illæ verò glandulæ à secretionem cessant, vel quia obſtruantur, vel quia comprimuntur, vel quia laxantur & in sese concidunt.



*Tres ergo remotiores Apoplexiæ causa* futuræ sunt *obstructio, compressio & relaxatio* glandularum, quæ corticalem cerebri substantiam constituunt.

Porro corticales illæ glandulæ, 1°. *Obstruuntur* à materiis crassioribus, quæ unà cum spiritibus ipsis etiam crassis à sanguine viscoso & pituitoso suggeruntur. 2°. *Comprimuntur* à Cranio per ictum aut aliâ de causâ depresso, inflammationibus aut suppurationibus intra Cranii claustra factis, sanguine aut impensius rarefcente, uti fit ex insolatione, irâ vehementiore, abusu liquorum ardentium, usu præpostero frictionum mercurialium: aut crassitie nimîâ in propriis cerebri vasis moram trahente, ut contingit ex mærore, tristitiâ, ærumnis, vitâ sedentariâ, somnolentiâ, acidioribus primarum viarum succis, &c. 3°. *Relaxantur* ab aquosiore sanguine, immoderato narcoticorum usu &c. Quæ omnia inter *procatareïticas & evidentes* Apoplexiæ causas debent recenseri.

Ex propositâ Apoplexiæ ætiologiâ functiones omnes animales, imaginationem, memoriam, ratiocinium, sensum atque motum, suppressâ spirituum secretionem, cessare mirum non est. Mirum potius, quod in tali statu respiratio, deglutitio atque cordis pulsatio perseverent. Illæ enim motiones, cum à jugi spirituum fluxu dependeant, videntur in Apoplecticis perinde ac cæteræ abolendæ; & abolerentur sanè pari prorsus modo, si nervi, quibus in harum motionum organa spiritus derivantur, ab eadem cerebri parte, à quâ cæteri corporis nervi, enascerentur. Verùm plurima demonstrant experimenta nervos, qui respiratio- ni, deglutitioni & cordis motui, prospiciunt, à cerebello oriri; prodire verò à cerebro nervos, qui voluntariis artuum motibus destinantur. Cerebrum autem, cum mollius sit laxiusque, obstructioni, compressioni, & relaxationi magis patet; cerebellum è contra, utpote firmitus & densius, triplici huic læsioni fortius resistit. Suppressâ ergo in cerebro spirituum secretionem, eam quoque in cerebello suppressâ consequens non est: possuntque adeò, quanquam voluntarii motus à cerebro dependentes aboleantur, functiones quæ à cerebello foveantur exerceri, verùm debilius, lentiùsque; cum cerebellum non sit ab omni prorsus læsione immune, sed & morbificæ causæ, quâ cerebrum opprimatur, quadamtenus particeps.

Diagnosîs Apoplexiæ patet intuiti; distinguitur à Caro secundum magis & minus: ab Epilepsiâ ex convulsione aut motibus convulsivis, quæ in hac essentialiter adsunt, desunt verò in Apoplexiâ: à Catalepsi, quod in hac tensa sint membra, ac quodammodo rigida, in illâ verò flaccida penitus atque laxata: à Syncope demùm, quod in eâ pereant functiones omnes, ad sensum saltem; in Apoplexiâ verò naturales ac vitales functiones permaneant.

Duæ solent Apoplexiæ species constitui habitâ causarum ratione; una, quæ à rarefcente nimis sanguine, altera, quæ à crassiore producat. In illâ rubet facies, calet corpus, pulsus vehementior est validiorque, citatior respiratio; in istâ verò languescit pulsus, labascit respiratio, frigent extrema, pallet facies, ac plerumque cadaverosa est. Priorem *sanguineam*, posteriorem verò *pituitosam*; vulgò placuit appellare.

Prognosis periculosa debet semper institui, & ut plurimum lethalis. Asserit enim



Hippocrates ; aphorismo 42. sect. 2. *Apoplexiam fortem tollere impossibile, debilem verò non facile.* Nec Hippocratem falsi hâc in re convicit sequentium sæculorum experientia.

Si Apoplexia à sanguine nimis rarefcente producat, depletis vasis & represso sanguinis orgasmo, feliciter curatur, neque ullus superest gravior affectus. Si verò ab obstructione, relaxatione, aut compressione dependeat, quam crassior sanguis induxerit ; curatam Apoplexiam solet consequi Paralyfis particularis vel universalis, obstructis videlicet hoc in casu, aut sero laxatis nervorum principiis.

A qualicumque autem causâ Apoplexia dependeat, sive à nimia sanguinis crassitie, sive à præternaturali ejusdem effervescentiâ, minimè dubium est, quin ejus curationi imprimis conveniat venæ sectio. Siquidem depletis quadamtenus vasis sanguiferis, cessat violenta compressio, quam corticalibus cerebri glandulis distensione nimia inferunt. Celebrantur autem venæ sectiones vel in brachio, vel in pede, vel in collo pro Medici prudentiâ ; plures si sanguis rarefcat & impensius fermentetur, pauciores si crassior fuerit & difficilè circuletur. Æger deinde modis omnibus exsuscitandus est, motusque vehementior, si fieri possit, spiritibus, qui tunc in cerebri ergastulis & pauci & torpidi existunt, communicandus. In hunc finem avellendi capilli, contorquendi digiti, pungendus æger, cucurbitulæ applicandæ, & scarificandæ. Verùm his omnibus, potentiùs agunt propinata Emetica, quibus interior ventriculi tunica irritatur. Hinc enim vehementes fiunt ad cerebri medullarum spirituum refluxus, quibus oppressa cerebri compages relaxatur ; validæ excitantur partium contractiones, quibus sanguis velociùs motus objecta sibi in cerebro repagula vincit, superatque ; ac demùm vitiosus primarum viarum limus, qui morbi plerumquè fomes est, expellitur & evacuatur.

Quod si neque Emetica, neque Cathartica Emeticis addita quidquam profecerint, certumquè aliunde sit indubiis signis, quæ superiùs recensuimus, Apoplexiam à crassiore sanguine induci, ad spirituosâ medicamina confugiendum est, quibus sanguinis corrigatur crassities, & intendatur fermentatio. Laudantur ex his falia omnia volatilia, ex Cornu Cervi, Cranio humano, sale Ammoniaco, Urinâ extracta, Liliū antimoniale Paracelsi, Guttæ anglicanæ, quæ ex vulgari serico distillantur. Sed palmam omnibus præripit spiritus volatilis, qui ex Araneorum folliculis distillatione elicitur ; novum quidem, sed utile atque efficax remedium, quod acceptum debemus illustrissimo viro D. D. B o n Senatûs Monspeliensis principi designato, cujus non hortatu modò & suafione, sed operâ quoque atque studio Naturalis Historiæ notitia mirè promovetur. Ille enim ceu Naturæ Mystes, quæ altis tenebris hætenus offusa sedulam aliorum disquisitionem eludere, acri ipse ingenio facilè reteggit, dum subsecivis horis animum gravioribus negotiis implicitum dulci utilique simul relaxat oblectamento. Tàm sagacem in inquirendo, tàm perspicacem in examinando, tàm acutum in inveniando rerum Physicarum scrutatorem, præceptum sibi meritò quereretur Philosophia, nisi curis natus nobilioribus, & dignitati suæ & publicæ totus deberetur utilitati. Primus ille neglectos usque



adhuc Aranearum folliculos pretiosis vestibus conficiendis utiles esse demonstravit. Primus analysi chymicæ exposuit, atque ex iis spiritum volatilem efficaciam summam elicuit. Primus demum extractum inde spiritum variam medicaminum miscelam temperandi modum edocuit in pereruditâ Dissertatione, quam publici juris nuper fecit. Ut ergo propositæ quæstioni plenè satisfaceremus, paucula quæ sequuntur hinc excerpere visum est, quæ adstruendam conclusionem non parum sunt illustratura.

Aranea non vile modo, sed etiam exosum est atque invisum animal. Eam tamen non suo erga nos merito, sed ignorantiam tantum vel præjudicio exhorrescimus. Neque enim, si Tarantulam excipias, veneno noxia est, sed contra utilis nobili velle, quod serico ipsi nec pretio, nec utilitate cedit. Casses quidem nullius pretii æstate fere totâ prætendit in aëre vacuo, ut muscis insidietur, quibus vescitur; sed mense augusto utero jam prægnans firmiora depromit stamina, quibus in folliculos circumductis ova arctè concludit, & contra hyemalis frigoris vim, atque cæterorum animalculorum injuriam cautè munit.

Collecti hinc folliculi, si retortæ inditi lento igne, ut artis est, distillantur, spiritum suppeditant Alkalinum volatilem, qui cæteris quibusvis homogeneis spiritibus efficacior est, acriorque; atque palato simul gratior, cum nares odore minus graveolenti percellat. Rarò tamen solus & impermixtus usurpatur, sed variis temperatur materiis, quæ ei vehiculi instar sint, quibuscum repetitis circulationibus intimè commiscetur. Solent autem pro Medici prudentiam materiam diversi generis adjungi, quæ & ipsæ curationi morbi, cui destinatur remedium, possint conspirare; sic ad dolorem colicum Tincturæ Opii permiscetur, ut dum spiritus ipse lentos viscidosque humores incidit, quibus intestina distenduntur, narcoticæ Opii partes cerebrum laxando dolorificas impressiones obtundant. Sic ad hystericos insultus, Castoreo, vel Essentiâ Rutæ temperatur, ut eâ ratione spiritus sanguinem crassiorem præcordia opprimentem attenuet, atque Rutæ vel Castorei partes violentas nervorum irritationes simul demulceant & compescant. Sic denique ad Apoplexiam & soporosos affectus, qui à crasso fiunt sanguine, Oleo essentiali Cinnamomi vel Thymi admiscetur, ut unitis viribus & propriâ spiritus energiâ, & Olei hujusce actione crassior sanguis atteratur. Mistiones hæcæ quascumque, quoniam Monspeli novissimè fuerunt inventæ, uti supra dictum est, *Guttas Monspelienses* appellare placuit, desumpto à Guttis Anglicanis nomine, quæ ratione simili parantur. Evidens autem est priora duo Guttarum genera Apoplexiæ, quæ à crassiori sanguine inducitur, vel nunquam vel minus convenire; sed posterius mirificè proficit, cum crassiorem sanguinem dividat, languescentem ejus fermentationem intendat, atque uberiores promoveat spirituum secretionem. Unde jure concludimus.

*Apoplexiæ, quæ à crasso sanguine dependet, præmissis præmittendis, Guttas Monspelienses convenire.*

*Propugnabit in augustissimo Monspeliensis Apollinis fano ANTONIUS NICOLAUS BILLEBAULT Senonensis, Artium Liberalium Magister, & jamdudum Medicina Studiosus, ab horâ octavâ usque ad meridiem, Die 20. mensis Maii 1719.*